

et castitate praecellam, cupiens visitare, illa noluit, sed xenium misit ei, ac per fenestram respiciens, ait sancto viro: Ibi, pater sancte, ora, quia a viro nunquam sum visitata. Gratias egit Deo sanctus Martinus, et quod talibus imbuta moribus, castam custodierit voluntatem, et benedicens eam, abiit laetus. Hucusque sufficiat de foeminis dictum. Consummata quippe virginum causa transeamus ad reliqua. Hospitalitatem praecipit Apostolus clericum ordinandum. Hoc praecipto pater Abraham et Loth Angelos susceperunt, quia hospitalitatem inter caeteras dilexerunt virtutes. Sic et Onesiphorus Paulum doctrinae fontem suscepit. Haec imitationes sint vestrae, et ne sinatis incolam praeterire, qui apud vos panem non comedat. Sequitur: Non percussorem. Non enim pugilem describit Apostolus, qui conscientias percutiat singulorum, sed modestum, et reliqua: Domum suam bene regentem: perquam horribile erit, si domui clerici detrahatur. Laedet sacerdotis opinionem in plebe, quando de proximis ejus male loquitur populus. Super omnia haec praecipit clericis boni testimonii Apostolus fundamenta componere, ut bonorum operum testificatio casto confirmetur affectu.

---

## B. AUGUSTINI

### CONFESSIONUM \*) LIBER OCTAVUS.

#### CAP. I. ACCENSUS AMORE DIVINORUM AD SIMPLICIANUM IRE STATUIT.

Deus meus, recorder in gratiarum actione tibi, et confitear misericordias tuas super me. Perfurdantur ossa mea dilectione tua, et dicant: Domine, quis similis tibi?

---

\*) Ed. Lugdun. 1585. T. I. p. 58-79.